



CONGREGATIO
DE INSTITUTIONE CATHOLICA
(DE SEMINARIIS ATQUE STUDIORUM INSTITUTIS)

DECRETUM

ÆMILLÆ-ROMANIOLÆ Ecclesia studiorum sapientiæ culturæ vetustissimis radicibus est distincta prima Studiorum Universitate in Europa sæculo XI Bononiæ orta, post initia Facultate Theologica in medio suo præclarissime exornata.

Conferentia Episcopalis Regionalis *Æmiliæ-Romaniolæ*, una cum Provincia *Sancti Dominici* Ordinis Fratrum Prædicatorum Italiæ, novis necessitatibus pastoralibus supervenientibus, hanc Congregationem suppliciter adivit exposcens ut in eadem civitate Bononiensi nova Facultas Theologica erigeretur pro studiorum theologicorum beneficio *Æmiliæ-Romaniolæ* Regionis.

Hæc CONGREGATIO DE INSTITUTIONE CATHOLICA (*DE SEMINARIIS ATQUE STUDIORUM INSTITUTIS*), re cum iis quorum interest mature perpensa, perspecta favorabili sententia Conferentiæ Episcopalis Italicæ, ad normam art. 61 Constitutionis Apostolicæ *Sapientia christiana*, petitionem Em.mi Archiepiscopi Bononiensis, Præsidis Conferentiæ Episcopalis *Æmiliæ-Romaniolæ*, libenter excipiens,

Studium Theologicum Academicum Bononiense,

cum Decreto *Petroniana metropolis* memoratæ Congregationis die XXI mensis Iunii, a. D. MCMLXXVIII, erecto atque Facultati Theologicæ Pontificiæ Universitatis Sancti Thomæ Aquinatis in Urbe aggregato, in

FACULTATEM THEOLOGICAM
ÆMILIÆ-ROMANIOLÆ

in civitate Bononiensi sitam

hoc Decreto canonice erigit erectamque declarat, facta eidem potestate academicos Baccalaureatus, Licentiæ atque Doctoratus in Theologia gradus iuxta academicam Ecclesiæ legem conferendi; servatis Statutis eiusdem Facultatis ab hac Congregatione approbatis; ceteris servatis de iure servandis, præsertim quæ in Constitutione Apostolica *Sapientia christiana* atque adnexis *Ordinationibus* ceterisque Apostolicæ Sedis documentis de Studiorum Universitatibus et Facultatibus Ecclesiasticis adimplenda præscribuntur; contrariis quibuslibet minime obstantibus.


Insuper hæc Congregatio Exc.mum ac Rev.mum Archiepiscopum Bononiensem
"pro tempore"

MAGNUM CANCELLARIUM

ipsius Facultatis **statuit, nominat atque renuntiat**, omnia ipsi agnoscens
tribuensque huiusmodi muneris officia ac iura, in primis catholicæ doctrinæ
orthodoxiam, morum probitatem ecclesiasticamque disciplinam vigilanter
tutandi ac diligenter promovendi.

Magni Cancellarii atque Exc.morum Episcoporum Regionis Æmiliæ-
Romaniolæ erit Facultatis navitatem academico-scientificam aptis mediis
adhibitis continenter provehendi; ceteris servatis de iure servandis; contrariis
quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romæ, ex ædibus eiusdem Congregationis, die XXIX mensis Martii, a.
D. MMIV.


PRÆFECTUS

+ Michael Miller CSB
A SECRETIS